





TOMUS XXXIV.  
MISCELLANEOUM.

~~G. V. f.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

V-45.

SIGNAT. MDCCCXIII.

6 bände:



THESES  
DE LEGE ET  
EVANGELIO.

De quibus, Deo annuente, disputa-  
bitur ad diem xix. Decemb.

PRAESIDE

JACOBO KIMEDONCIO, S. THEOLOGIAE  
D. ET PROFESSORE ORDINARIO:

Respondente vero,

HERMANNO LIGNARIDO  
WESTPHALO.



HEIDELBERGAE,  
Typis Abrahami Smeismanni,

ANNO MD. C. IX.



VIRTUTE, DOCTRINA,  
GENERIS NOBILITATE AMPLISSI-  
MO VIRO IUSTO REVERBO ELECTORA-  
LIS Palatinatus Cancellario,  
Patrono suo, S.



ICVTI verè dictum, Meccenas, Græcorum prouerbio  
ἔτος φέρει οὐχὶ ἄριστος, quod cali clementia plus ad-  
ferat momenti ad semētis prouentum, quam soli boni-  
tas: ita superiorum benignitas est, quæ facit ingeniosos.  
Vidit hoc, opinor, prudens antiquitas quæ Musis vir-  
ginibus, suum præfecit Apollinem, quod simulac præsidis assulisset aura,  
mox ingentem ingeniorum prouentum effloruisse constaret. Innumeros  
enim vt mittam, quis magnum illud Germania decus Melanchthonem,  
nisi Reuchlini fauor euexit? Quis Erasmus, nisi quem plenis adeo buc-  
cis deprædicat, VVaranus Cantuariensis Episcopus produxit? Et ne lon-  
gius abeam, celeberrimæ huius Academia nostræ φως ἴσθαι ( viros bone  
Deus in omni literarum genere quantos!) quis edidit? Habent hoc  
mortalium ingenia, habent hoc literarum studia: Meccenatem aliquem  
ac ducem desiderant, qui otium suppeditet, animum addat, cursum  
dirigat, denique qui tueatur & prouehat. Quod cum tu ἡ κλέος  
ἔξοχος ἄλλων, teneas solidè, exprimas egregiè, sic iuuas, foues, ornas,  
ac tueris omnes, vt non immeritò ceu natus prouehendis ingeniis videri  
possis. Cuius beneficentia tue, cum & me participem esse volueris: nulla-  
que mutuis respondendi officiis via relicta sit (quanquam te id minimè  
querere, modo benè, quod contulisti muneri cesserit, satis teneo) animi  
saltem ad gratificandum propensi, significationem exhibeo. Has igitur,  
vir Amplissime, Aphorismorum Theologicorum pagellas pauculas, tan-  
quàm exercitationum mearum in hoc genere primitias, nomini tuo in-  
scribens consecro, orans quantum queo obnixè, vt quem fauore cœpisti  
complecti tuo, eundem constanter protegere pergas. Sic, auguror, fiet, vt  
IEHOVÆ dilatetur honos, ac fidelium cœtus, magis ac magis sacrescat.  
Amen.

T. A.

addictissimus cliens

HERM. LIGNARIDVS.







DE LEGE ET  
EVANGELIO.

THESIS PRIMA.



VLGATA est & probè tenenda distinctio verbi Dei in duas, siue partes siue species; Legem & Euangelium.

II.

Lex, quatenus pro altera verbi Dei parte ab Euangelio distincta accipitur (sæpe enim tota veteris testamenti scriptura *συνεκδοχικῶς* Legis nomine censetur) doctrina est à Deo profecta iubens quæ facienda sunt prohibentque contraria; idque addita conditione vel premiorum erga obediētes, vel pœnarum erga inobediētes.

III.

Vt imur voce doctrinæ loco generis, respicientes v̄sitatissimum Hebræorum morem, quibus Lex cōmuniter est *THORAH*, quæ vox doctrinam propriè denotat. Leges quippe à doctrinæ veritate aberrantes, quales multæ sunt in populorum institutis, (nam vel Cicerone teste stultissimum est existimare, omnia iusta esse, quæ scita sunt populorum legibus) improbam magis dominationem, quam rectam legis rationem spirare videntur.

Cic. 1. de  
leg.

III.

Triplex autem est diuina illa Lex; aut scripta aut non scripta; & hæc vel natura, vel traditione, accepta.

A ij





## V.

Verbi gratia; traditionis diuinæ fuit Lex primordialis in paradiso, de arbore scientiæ boni ac mali: Lex item Sacrificiorum, quam Abel didicit ab Adamo, Adam ex Deo ipso audiuit, ut ait *a* Athanasius: & confirmatur à *b* Cypriano qui sacrificia primis parentibus diuinitus scribit inspirata.

*a* Serm. Omnia mihi tradita &c.

*b* Serm. de Circumc.

## VI.

Iam naturalis Lex, ut cum Cicerone eam definiamus, est ratio summa insita in natura, quæ iubet ea, quæ facienda sunt, prohibetque contraria. Profluens enim naturæ quodam fonte in singulis exprimitur, & humanis ingeniis hauritur, ut rectè declarat Ambrosius lib. 9. Epist. 71.

## VII.

Ex hoc fonte ethnicorum pleraque de virtutibus præcepta, & quæ in gentium legibus atque constitutionibus præclarè sancita leguntur, manant. Pleraque dico, quia nonnulla huiusmodi ex fontibus Israelis, siue lectione siue auditione, deriuata esse ad gentes, dubium non est: ut eruditè libris Stromat. Clemens Alexandr. ostendit.

## VIII.

Deo autem transcribimus Naturæ istam legem, quia naturæ auctor est. Vnde & Antigone apud Sophoclem vocat ἀρχαῖα ἢ ἀσφαλι θεῶν νόμιμα, quæ nemini mortalium fas sit transgredi, nec si reges contrarium edicant.

## IX.

Scripta vero Dei Lex sunt, quæcunq; viuendi præcepta sacris literis vtriusque testamēti sunt cōsignata,



III

gnata. In quo genere principem facile locum obtinent libri Mosis. Nam Lex per Moſen data eſt, gratia *Ioan. 1.* & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.

X.

Triplex porro eſt Lex Dei ſcripta, Moralis, Ceremonialis, Politica ſeu forenſis.

XI.

Lex moralis, cuius ſumma eſt Decalogus, eſt doctrina congruens cum regula iuſtitiae in mente Dei, natura nota, & poſtea ſæpe repetita & declarata voce diuina, inſtituens ad ſanctimoniam & iuſtitiam veram, & obligans vniuerſum genus humanum ad perfectam obedientiam, internam & externam: ſub conditione fauoris Dei, & vitæ æternæ, ſi quis eam integrè præſtet; & verò iræ Dei & maledictionis temporariæ & æternæ, ſi quis vel minima in parte eam violet.

XII.

Naturâ notam dicimus hanc legem & integræ & vitiatæ naturæ conſideratione; certo tamen diſcrimine. Siquidem in natura integra, reſplendente in homine regia imagine, inſita fuit tota lex: at poſt lapſum, imagine Dei horribiliter in nobis deformata, ſuperſunt nihilominus reliquiæ quædam & veſtigia primæuæ ſapientiae, & notitiæ legis.

XIII.

Et quoniam per inobedientiam, prærogatiua naturalis legis corrupta atque interlita erat, dignatus eſt Deus legem voce & ſcripto repetere, vt quibus *Ambr. lib. perierat, quod nascendo aſſumferamus, diſcendo ſal. 9. ep. 71.* tem cognoſceremus & cuſtodiremus.

A iij



XIIII.

Vniuersum autem genus humanum non Israëli-  
tas tantum, quibus peculiariter data fuit, hac Lege  
obligari planum est ex dicto iam fundamento. In  
omnes quippe diffusa est naturæ Lex: vt præclare &  
pene diuinè Cic. 3. de Repub. scripserit, citante La-  
ctantio: *Non alia, inquit, est Lex Romæ, alia Athenis,  
alia nunc alia posthac: Sed & omnes gentes & omni tem-  
pore una Lex & sempiterna & immutabilis continebit,  
vnusq; erit communis quasi magister & imperator omnium  
Deus; legis huius inuentor, disceptator, lator.*

XV.

Quod cum ita sit huic Legi nec obrogari fas est,  
neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota ab-  
rogari potest: nec vero aut per senatum, aut per po-  
pulum solui hac Lege possumus.

XVI.

Ceremonialis Lex ea est, quæ de ceremoniis præ-  
cepit. Sunt autem ceremoniæ actiones seu gestus ex-  
terni, solennes, hoc est, cum earundem circumstan-  
tiarum obseruatione peragendi in cultu Dei; idque  
significationis aut ordinis causa. Talia erant, sabbat-  
hum, circumcisio, agnus paschalis, sacrificia & asper-  
siones legales.

XVII.

Hæc, Apostolo interprete, umbra erant rerum futurarum:  
corpus autem & impletio est Christi. Col. 2. Hebr. 9.

XVIII.

Idcirco etiam ceremoniæ Iudaicæ, posteaquã ve-  
ritatem & impletionem sui in Christo sortitæ sunt,  
cessare debuerunt: vt copiose ad Galat. Coloss &  
Hebr. argumentum hoc tractatur.

XIX.



XIX.

Κακοζηλία igitur est, quod papistæ affectarunt ritus Iudæorum, sicut & gentilium; ex quibus fere papismus promiscuè conflatus est. vide dist. I. de consec. decretum Felicis IV.

XX.

Forenses leges apud Mosen, sunt constitutiones peculiariter olim sancitæ ad Rempub. Israëlitis conseruandam & gubernandam.

XXI.

Ob pacta enim promissionum de terra Canaan, de multiplicatione Israëlitis, & præcipuè de Messia, mundi Seruatore, ex patribus nascituro secundum carnem; voluit Deus Rempub. Israëlitis distinctam conseruare ab aliis gentibus, donec exhibito Christo, peccata ipsorum mererentur eius destructionem.

XXII.

Ex quo etiam intelligitur, postquam politia Iudæica iusto Dei iudicio per Titum euersa fuit, ciuiles eiusmodi leges Israëlitis ita abrogatas, vt ne Iudæos quidem horum temporum, nedum qui ex gentibus sunt, obligent. Quare error est, quod noui quidam magistri, Christianos etiam ad politiam Mosaicam adstrictos esse voluerunt.

XXIII.

Liberum interim est, imperiis & Rebuspub. Christianis, quemadmodum ex Solonis, ex Lycurgi, aut Romanorum legibus, ita multo magis ex politia illa Mosaica imitari, quæ personis, locis temporibus conuenire videntur.

XXIV.

Distinctio hæc legum diuinarum necessaria est, vt rectè distinguamus inter cultum Dei principalem &

A iij

IV





minus principalem: & præcipue, vt rectè iudicare possimus de abrogatione legis, quæ eius præcepta nos hodie obligent, aut non obligent. Alia quippe ratio est ceremoniarum Mosaicarum, quas hodie nobis nefas est obseruare: alia præceptorum forësiũ, quæ licet non obseruare: alia denique præceptorum moralium, quæ sempiterna & immutabilia cum sint, omnes omni tempore obligant.

XXV.

Quæritur de vsu legis, an lex iustificet. Respondet Paulus, hominem non ex operibus legis, sed ex fide in Iesum Christum iustificari. Ad Rom. & Gal.

XXVI.

Quorsum igitur lex? I. ad conseruationem disciplinae, & frenandos improbos, quos necesse est legum vinculis atque repagulis domari: sicut Paulus dicit, Legem non iusto sed iniusto positam. I. Tim. I.

XXVII.

II. Lex data est ad agnitionem peccati, vt omnes obturetur, & totus mundus obnoxius ostendatur condemnationi Dei. Rom. 3.

XXVIII.

III. Legis vsus est, vt de peccato & damnatione conuicti, tanto magis exstimulemur ad remedium gratiæ eo ardentius expetendum & quærendum. *Lex finis est Christus*, ait Apostolus Rom. 10. quia *Lex. Augustino teste, iubendo & minando & neminem iustificando, satis indicat dono Dei iustificari hominem per adiutorium spiritus.* Itaque lex pædagogus noster est ad Christum, vt ex fide iustificemur. Gal. 3.

August. de  
spirit. &  
lit. c. 9.

XXIX.

IIII. Legis vsus est, quod renatis & iustificatis iam dono Dei, regula est nouæ obedientiæ & bonorũ operum



operum, quibus patrem suum in caelis glorificare, suamque ei gratitudinem praestare debent. Psal. 19. & 119. Et haec tenus de lege, quae prior verbi Dei pars est, & discipulos Euangelio praeparat.

XXX.

Transeamus ad Euangelium. Ευαγγέλιον graeca vox est, secundum etymon significans laetum ac felix nuntium. Usurpatur etiam apud idoneos auctores pro praemio, quod datur laeta nuntiantibus: item pro supplicationibus & sacrificiis ob rem bene gestam. Apud scriptores autem sacros *ευαγγέλιον* dicitur κατ' ἐξο-  
χὴν, annuntiatio salutis per Christum.

XXXI.

Est verò in sacris triplex ferme usus vocis Euangelij. Accipitur enim pro historia Christi, quae (vt ab *lib. 2. cap. 2. contra Faustum.* Augustino definitur) narratio est originis factorum, didorum, & passionum Domini nostri Iesu Christi.

XXXII.

Deinde generalem significationem habet pro tota doctrina Christi & eius Apostolorum, cuius duo sunt primaria capita, de poenitentia & remissione peccatorum Marc. 1. 14. & cap. ult. 15. Luc. 24.

XXXIII.

Tertio, propriè ac specialiter Euangelium significat, optatissimum nuntium de redemptione generis humani per Christum Ies. 61. Luc. 2.

XXXIV.

Secundum istam specialem Euangelij significationem, quae à lege, altera verbi Dei parte diuiditur, definitio eius esto haec; Quod sit doctrina gratiae, hoc est, reconciliationis cum Deo, iustitiae ac vitae aeternae gratis dandae per & propter Christum, credentibus.

XXXV.

Quaeritum fuit, an vnum idemque Euangelium in

B



utroque testamento, & ab initio traditum sit. Respon-  
demus, semper fuisse Euangelium iam inde ab initio  
mundi; & quidem vnum idemque in veteri quod in  
nouo Testamento, si substantia ipsa consideretur;  
licet in circūstantiis discrimē sit non contemnendū.

XXXVI.

*Act. 15.*  
*Gen. 3.*  
*Gen. 22.*  
*Ier. 53.*  
*Act. 10.*  
*Heb. 11.*  
Semper enim electi seruati & seruandi sunt omni-  
bus temporibus, per fidem in Christum, ab initio re-  
uelata de ipso & ipsius beneficiis promissione, & sub-  
inde clarius repetita Abrahamo aliisque patribus.  
Hinc Paul. Gal. 3. ait: prouidens scriptura Deum ex fi-  
dei iustificaturum gentes, ante Euangelizauit Abra-  
hæ; Benedicentur inquit in te omnes gentes.

XXXVII.

Quod cū ita sit, intolerabilis fuit vesania Marcio-  
nitarum & Manichæorum, & qui eorum blasphemiam  
imitatus est Serueti. Nam Irenæo teste, Marcio  
vel Abrahamum ipsum ab hereditate regni cælorum  
excluebat. Manichæi, testate Epiphanio, neminem  
ante 15. annum Tiberij ad salutē peruenisse volebant.

XXXVIII.

*Aug. con-  
tra Iulian.  
lib. 6. cap.  
12.*  
Blasphemarunt & Pelagiani, patres lege naturæ;  
Iudæos item lege Mosaica seruatos fuisse garrientes:  
quo nomine Augustinus tanquam communem fi-  
dei pestem fugiendos eos admonuit.

XXXIX.

Sed enim cum substantiâ vnum idemque Euan-  
gelium sit, quo omnes sancti ab initio mundi saluati  
sunt & saluantur omnibus ætatibus; discrimē tamen  
magnum est, secundum circūstantias Tēporis & Modi.

XL.

Temporis, quia veteribus annuntiabatur reconci-  
liatio cum Deo per Christum, qui venturus erat: no-  
bis



bis per eundem Christum, qui iam venit.

XLI.

Modi, quia in nouo testamēto, impletione veteris per Christum facta, longè maior est doctrinę claritas: nec non ad plures diffunditur, cessante distinctione Iudæorum & gentium.

XLII.

Cæterum, cū ignorantia differentię legis & Euangelij, plurimis maximisque erroribus occasionē præbuerit, primum distinguimus ea *obiectis*, eo quod Lex prædicat faciendā & omittēdā, atque ita solū indicat iustitiā quā Deus à nobis exigit: verum Euangelium cōcionatur de Christo, mediatore Dei & hominum, qui legi pro nobis satisfecit, ad iustitiā cuius credēti. Legis vox est, *redde quod debes*, Euāgelij, *commotus misericordia dominus serui illius, debitū ei remisit*. Matth. 18.

XLIII.

Adhæc distinguuntur lex & Euangelium *effectis*. Nam ex lege cognitio peccati: sed Euangelium sanat vulnera, quæ lex ostendit tantum, non sanat. Rectè *Rom. 3.* Augustinus tract. 3 in Iohannem. *Lex minabatur, non Ier. 5.* *opitulabatur: inebat, non sanabat: languorem ostendebat, non auferbat, sed venturo præparabat medico.*

XLIII.

Est & hoc discrimen *ab effectis* Euangelij: Euangeliū ministeriū est spiritus vitæ, & cōuersionis: sed lex tantum abest vt viuificet, vt peccatum occasione sumta in nō renatis, gignat omnē cupiditatē per legē. Rom. 7.2. Cor. 3.

XLV.

Tertio discernuntur lex & Euangelium *promissionibus*. Lex quippe vitam promittit operanti, & quidē perfectè omnia præstanti: Euangelium promittit salutē credēti in eū, qui iustificat impiū, & fidē imputat pro iustitia per redemptionem factam in Christo Iesu.



XLVI

Quartò illustre discrimen est, quod ad *patefactionē*. Lex enim naturâ nota est omnibus gentibus omni ætate, saltem ex parte: Euangelium non est naturâ notum, sed diuinitus reuelatum ex arcano sinu patris, de quo ne summi quidem philosophi suspicari unquam potuerunt. Imo ratio humana, Euangelium Christi non modò non assequitur, verum etiam, tanquam sibi contrariū petulāter reiicere solet. 1. Cor. 2.

XLVII.

Vnde etiam non satis est, quod Deus ex intimo consilio tuo, Euangelium semel manifestare dignatus est, sed insuper peculiari dono & reuelatione spiritus sancti opus est, vt sic patefacto Euangelio credamus. Matth 16 Ioan. 6.

XLVIII.

Porro legi & Euāgelio id commune est, quod vnus idemque Deus vtriusque auctor est, contra quā Marcionitæ & Manichæi olim voluerunt. Hebr. 1. Legem, ait Augustinus, dedit ille qui dedit & gratiam. *Tract. 3. in Iohan. 1.* Sed legē per seruum misit, cum gratia ipse descendit.

XLIX.

Adhæc cōmune habēt lex & Euangeliū, quod se inuicē stabiliunt. Nā vt finis legis est Christus ad iustitiā per fidem: ita per fidem lex stabilitur, Rom. 10. & 3.

L.

Postremò, legis & Euangelij conuenientia in hoc cernitur, quod cōstat vtramque doctrinā in vtroque testamento traditam, & sic temper in Ecclesia notam fuisse & fore deinceps, Deo Ecclesiam illuminante. Cui sit gloria & benedictio.

FINIS.



Umg. VI 45

ULB Halle 3  
002 379 767



s. b.

WDA





... dicitur ...  
... dicitur ...

... dicitur ...  
... dicitur ...

... dicitur ...  
... dicitur ...

... dicitur ...  
... dicitur ...

... dicitur ...  
... dicitur ...

... dicitur ...  
... dicitur ...

... dicitur ...  
... dicitur ...

... dicitur ...  
... dicitur ...

... dicitur ...  
... dicitur ...


... dicitur ...  
... dicitur ...

... dicitur ...  
... dicitur ...

... dicitur ...  
... dicitur ...







B.I.G.

Farbkarte #13

17

THESES  
DE LEGE ET  
EVANGELIO.

De quibus, Deo annuente, disputa-  
bitur ad diem xix. Decemb.

PRAESIDE

JACOBO KIMEDONCIO, S. THEOLOGIAE  
D. ET PROFESSORE ORDINARIO:

Respondente vero,

HERMANNO LIGNARIDO  
WESTPHALO.



HEIDELBERGAE,  
Typis Abrahami Smeismanni,  
ANNO MDCCXC.

18